

C V N R A D I R I T T E R S -

H U S I I J C.

*Auctoris Ammatu, opus vexo cum expurgatione permissum*

# D O D E C A D E L T O S,

*Sive De An. Pedro de ledema*

I N D V O D E C I M T A B V L A R V M L E G E S  
C O M M E N T A R I V S N O V V S.

*Opus prae aliorum doctorum virorum hoc de argumento  
lucubrationibus (absit invidia dicto) egregium, utilissimum, & omnino ta-  
le, de cuius editione gratulari sibi debeant plurimum, quot quot non ven-  
tosa & circumforanea, sed vera & solidaq; jurisprudentia studiosi sunt.*



A R G E N T O R A T I

*Sumptibus Haredum LAZARI ZETZNERI.*

*Anno M. DC. XVI.*

*Del Cole de la  
y su ab.  
Esta segun el exo  
puro de la año de  
1503.  
Aluis Muñoz*



*Ad Nobiliss. & Ampliss.*

**Dn. MARTINVM CHE-**  
**MNITIVM, JC. ILLVSTRISSIMIQVE**  
PRINCIPIS AC Dn. Dn. PHILIPPI II. POMERANIÆ  
Ducis &c. Cancellarium digniss. Patronum nostrum  
omni observantia colendum.

**M**VLTA sunt, Nobiliss. & Ampliss. Vir, quæ in Ju-  
stinian. Imp. sacratis. ex merâ aliis obtrectandi  
libidine, ab hominibus temerariis, conjici so-  
lent conyitia. Hic enim imperitiam ejus damnat, eumq;  
*ἀνάλφάβητον* appellare audet. Alius, quod totus ex Theodo-  
ræ imperiosiss. Christianisq; infensiss. feminæ, Arriano-  
rum verò patronæ unicæ, nutu atq; arbitrio pependerit,  
eum exagitat: quodq; in favorem & gratiam illius mul-  
tas leges tulerit, abrogaveritq; adeoq; præter imperialis  
Majest. dignitatem totus *γυναεκοκρατούμενος* & vxorius fuerit.

Neq; verò hîc istorum nigro loliginis succo asperfo-  
rum protervia se sistit: Sed sunt etiam, qui ultra crepidam  
immaturum de Justitiæ Templo, alterius Sophiae amu-  
lo, Justinianiq; auspiciis extructo, ferunt judicium. Ita e-  
nim ajunt, cum *φιλαυτὸν*, sibiq; plus æquo placentem cen-  
tones illos suos, & inæquales legum rhapsodias tot eru-  
ditiss. virorum integris voluminibus prætulisse. Imò  
(quod improbatae lectionis aut magicis fieri solet libris)  
vulcano ea consecrassè. Vnde, cum maximo & irrepara-  
bili Jurisprudentiæ dispendio, scripta immortalitate di-  
gna in nihilum redacta fuerint. Priora vt diluamus cri-  
mina non est nostri nunc instituti: idque maximè, cum

# CVNRADI RITTERSHV.

## SII IC. COMMENTARIVS

### IN XII TABB. LEGES.



Cribit Livius *lib. 3.* Decemviros propositis X. Tabulis Legum, quæ postea duabus superadditis XII. factæ sunt, Populum ad concionem advocasse; & Quod bonum, faustum, felixq; esset Reipublicæ, ipsis, liberisq; eorum, iussisse, irent & legerent leges propositas. Eodem aut simili etiam nos exordio uti convenit, aggredientes explicationem eorum, quæ ex Legibus XII. Tabul. superiunt fragmentorum. Quod ergo bonum, faustum, felixq; sit Reipublicæ literariæ, mihi, vobisq;, & si qui aliquando hæc prætereà legent, XII. Tabularum leges interpretabimur, exemplo magnorum virorum. Sed pauca præfabimur antequam ad rem ipsam accedamus.

Duo sunt quibus extulit ingens Roma caput: VIRTUS BELLI ET SAPIENTIA PACIS: ut masculè canit Sulpicia *in Satira quam fecit de temporibus Domitiani*, quæ satis iniqua studiis sapientiæ fuerunt, semel atq; iterum expulsam urbe Philosophis per Edictum Principis. Quibus per quàm sonoris carminibus breviter summa capita inclusit earum rerum, quæ res Imperium populi Romani ex minimo maximum reddiderunt, ut Suetonii utar verbis. Ac de virtute quidem, sive fortitudine, *bellica* nunc nihil dicam: quam loquuntur historici: imprimis apud Dionysium Halicarnassèum, Polybiū, & Livium, nec non eos qui Epitomas ac Breviaria ex his sua confecerunt, Florum, Eutropium, Victorem. Sed nec de *Pacis operibus* omnibus hic nobis propositum est explicare. Nihil enim de magnificentissimis & planè stupendis structuris, nihil de mirificis incrementis imperii, quod à casis pastoritiis profectum, usque ad eò sese dilatavit, ut magnam orbis partem occupaverit: nihil de magistratuum generibus, nihil de aliis Reip. institutis: quibus de rebus cum voluptate pariter & fructu singulari legetur opus J. Lipsii, quod inscripsit *Admiranda, sive de magnitudine Romana*.

Omissis igitur cæteris, quibus Imperium Romanum crevit & supra omnia alia Imperia se extulit, de ejus Populi *Nomothesia* videndum est nobis, qui legum Rom. aliquam scientiam & interpretationem profiteamur. Nam inter Pacis opera, sive, ut Sulpicia loquitur, *Sapientiam*, faciliè principem locum obtinet Legislatio Romana: de cujus præstantia protuli alias *initio commentarii ad l. 23. contractus. De R. J.* iudicium S. Gregorii Thaumaturgi ex *Panegyrico in laudem Origenis*: quod inde repeti potest. Nunc autem, adjungam gravissimum testimonium Diocletiani & Maximiani, quod extat in eorum Principum Edicto *libr. 5. C. Greg. tit. Nupt.* Nihil nisi sanctum ac venerabile nostra jura custodiunt: & ita ad tantam magnitudinem Romana Majestas cunctorum numinum favore pervenit: quomà omnes suas leges religione sapientis pudorisq; observatione devinxit. Hæc Inpp.

*scriptulorum, seu scrupulorum, (hæc enim tria vocabula promiscuè pro eodem usurpantur:)* cujus usus hæc erat lex, ut liceret revocare vel retrahere quod quis semel malè posuisset, si eum positi pœniteret.

Atque hic nostri ad leges XII. Tabularum Commentarii esto finis, quem ita fors tulit ut in ipsum meum natalem quinquagesimum incidere. Quid hic præstare voluerim, e gomet mihi conscius sum. Quid verò præstiterim, post tot eruditos & magnos commentatores hujus vetustissimi Romanorum Juris, Alii æstimabunt. &c.

F I N I S.



ARGENTORATI

*Excudebat Conradus Scher.*

*Anno M. DC. XVI.*